



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

29. Tres panes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 18.

Testimonium Trium Matth. 18. Deut. 19. & 17. In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Ipsa fides bino nonnumquam teste vacillat,
 (a) Exemplum faciat sub Daniele fidem.
 Judicium subiit dum casta Susanna duorum,
 Quos tulerant ætas impieta squè pares.
 In fontem Daniel laxat, monstratquè supremæ
 In Triadis firmam Numine stare fidem.

S. Aug: ad illud Matth: 18. in ore duorum vel trium stet: &c. per hoc mysterium Trinitas commendata est; in qua est perpetua stabilitas veritatis; vis habere bonam causam? habeto hos testes; Patrem, & Filium, & Spiritum. S.

(a) Dan. 13. N. Quomodo accipiendum est in ore duorum vel trium stabit omne verbum? nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in quâ perpetua stabilitas veritatis est. Si vis habere bonam causam habeto tres testes, Patrem & Filium & Spiritum S. Deniquè quando Susanna casta femina fidelisquè conjux duobus falsis testibus arguebatur Trinitas illi in occulto suffragabatur. Illi Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, & duos convicit, Ven. Beda in Joann. 8.

SYMBOLUM 29.

Tres panes Luc 10. apud Bed. in Job 1. & alibi.

Forsitan esurie venter vacat, oraque pallent,
 Quove premas ventris murmura, panis abest.
 Nocte fores in tempesta pulsabis amici:
 Uti consilio te meliore velim.

Tres

Tres petis an panes? quæ sursum quærito, pulsa

(a) *Æternæ Triadis nocte diequæ fores.*

(a) *Amicus ergo ad quem mediâ nocte venit, ipse Deus intelligitur. Cui in mediâ tribu-
tione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam Trinitatis, quâ presentis vitæ conso-
lentur labores, efflagitare debemus Ven. Beda in Luc. 10.*

S. Aug: de tribus panibus Luc. 11. Cum perveneris ad tres panes; hoc est,
ad cibum & intelligentiam Trinitatis; habes & unde vivas & unde pascas; ne
timeas, ne ficias; non enim ille panis finietur, sed indigentiam tuam finiet.

SYMBOLUM 30.

Triplices eunuchi. Matt. 19.

NAscuntur, fiunt eunuchi: suntq; videntes,
Qui tua non norunt vulnera fæde puer.
Istius haud omnes verbi capiuntur amore,
Sed quem flamma capit Flaminis, ille capit.
En stimulans adserta Trias (a) promissa labori,
Nulla parata polo, sint nisi parata solo.

[a] *Duo sunt genera eunuchorum carnalia, tertium spirituale cui præmium promittitur, eò
quod propter Deum, cum possent esse viri, sunt eunuchi: ceteris, quibus castimonia neces-
sitas est, non voluntas, nihil omnino debetur, Ven. Beda in hunc locum.*

SYMBOLUM 31.

Tres excusatores a nuptijs. Luc 14.

QUos invitatos jam cœna parata moratur,
Reppulit invitos ob tria (a) vana Trias.
Hic villam, juga quinque bouum prætenderat alter,
Tertius obstricti jus sociale thori.

Huc